

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

Level Two Medieval Latin Examination

6 September 2019

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. Barbarians burst into Rome and return the receptacles removed from a basilica

Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, intrupit, dato tamen praecepto prius ut si qui in sancta loca praecipueque in sanctorum apostolorum Petri et Pauli basilicas confugissent, hos in primis inuiolatos securosque esse sinerent, tum deinde in quantum possent praedae inhiantes a sanguine temperarent. [...] Discurrentibus per Vrbem barbaris, forte unus Gothorum, idemque potens et Christianus, sacram Deo uirginem iam aetate prouectam, in quadam ecclesiastica domo repperit, cumque ab ea aurum argentumque honeste exposceret, illa fideli constantia esse apud se plurimum et mox proferendum spopondit ac protulit; cumque expositis opibus ad tonitum barbarum magnitudine pondere pulchritudine, ignota etiam uasorum qualitate intellegeret, uirgo Christi ad barbarum ait: «haec Petri apostoli sacra ministeria sunt, praesume, si audes; de facto tu uideris, ego quia defendere non ualeo neque tenere audeo». Barbarus uero ad reuerentiam religionis timore Dei et fide uirginis motus, ad Alaricum haec per nuntium rettulit; qui continuo reportari ad apostoli basilicam uniuersa ut erant uasa imperauit, uirginem etiam simulque omnes qui se adiungerent Christianos eodem cum defensione deduci.

2. Poeta Saxo on Charlemagne decapitating perfidious Saxons

Nuncius hęc tristis narraverat omnia regi:
Ille suis exercitibus festinus in unum
Collectis statim Saxonica venit in arva.
Quem cum primores eiusdem gentis adissent
Illud se facinus non commisisse probantes
Et rex auctores facti perquireret, una
Esse reum clamant Widukindum criminis huius
Et quos hortatu proprio sibi consociavit.
Nec potuit tradi, quia rursus contulerat se
Ad Northmannorum patriam post proelia gesta.
Tradita sunt sane reliquorum bis duo regi
Milia quingentique viri, qui tam grave bellum
Illius contra Francos gessere suasu;
Hosque die cunctos rex decollaverat una
Iuxta Alaram fluvium, locus idem Ferdi vocatur.
Hac ubi vindicta regum clarissimus acta,
Ad propriam rediit villam Theodone vocatam.

3. John of Oświęcim (Auschwitz) grants privileges to the people of Kęty (Liebenwerda)

Nos Iohannes, dei gracia princeps Usswinczimiensis, coram omnibus et singulis, ad quos presentes pervenerint, publice profitemur et notum facimus tenore presencium universis, quod inspectis et consideratis instantivis et votivis supplicacionibus, quibus nobis civitas nostra Libenwerde et tota civium et incolarum nostrorum fidelium dilectorum universitas uberius supplicavit, nos vero eorum supplicacionibus utpote iustis favorabiliter annuentes, de principali nostra gracia et potestatis nostre plenitudine donamus et concedimus et presentibus indulgemus memoratis civibus et incolis in Libenwerde, fidelibus nostris dilectis, omnia iura civilia cum omnibus suis iuribus, usibus, utilitatibus, fructibus, censibus, emunitatibus et pertinenciis universis, quibuscumque censeantur nominibus, ad habenda, tenenda, usufruenda et iure quieto possidenda in omni modo et forma, queadmodum nostra metropolitana civitas Usswinczim habere, tenere, possidere dinoscitur, et per omnia perfrui et potiri plenarie et ex toto.

4. Hermann von Rein: why God became man

In sacramento festiuitatis hodiernae, dilectissimi, si diligenter aduertimus, inaestimabiles diuinae bonitatis diuitias nobis manifestari cognoscimus, quandoquidem creatrix illa maiestas, cui ad omne, quod uoluerit, subest posse, cum ad reparandam lapsi hominis ruinam multis modis uti potuisse uideatur, eum potius elegit, qui et iustitiae rationi congrueret et in quo magnitudo dilectionis eius circa hominem clarius eluceret. Nam quia homo, qui per se ceciderat, per se iam resurgere nequibat, per aliam autem quamlibet creaturam subleuari nec poterat, nec debebat, ductus ineffabili pietate creator ipse Deus super omnia homo factus est inter omnia, suscepit hominis naturam, ut hominis aboleret culpam; debitam homini pertulit miseriam, ut perditam homo recuperaret gratiam. Et in hoc diuinae non tantum bonitati, uerum etiam aequitati congruus ordo perficitur, cum uidelicet homini, qui sua sponte perierat, non de alieno, sed de suo saluandi materia sumitur, quatenus eadem natura, quae aduersus Deum data displicuerat, in Deum misericorditer assumpta bene complaceat.